



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monumenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713**

II. Academia fundatio Episcopum maximè decet. Paderborna Episcopatum  
Westphaliae urbium dignitate prima.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29975**

Academiae animus esset, ac facultas, mirum nemini videri debere, si principem Imperii ac ditionis tuae Urbem, praeter alios hoc ornamento decorandam putaris. Cui enim prudenti venire posset in mentem alienam te potius Spartam ornaturum esse, quam tuam? Ad hoc possem istorum orationem refellere, qui Academiam, nisi in ampla urbe, collocari vetant, cum in vicis quoque omni mœnium, ac portarum praesidio nudatis nobilia gymnasia sita fuisse prodantur. Atque haec adeo ex Academiis in Rempubl. non raro fluxit utilitas, ut quae loca humilia, atque abjecta colere coepissent, brevi in visendam magnitudinem, celebritatemque crescerent. Verum hanc nunc quidem oratione non utar. Quamquam enim confidam ex hac institutione Academiae, insignem cumulum ad Paderbornae pristinam dignitatem accessurum, me tamen dies hodiernus admonet, ne in animo cuiusquam hanc patiar opinionem residere, eorum ornamentorum, quibus opus est ad idoneam sedem nobilium artium, ullum ei defuisse. Id quod ego tam firmis, illustribusque argumentis me confirmaturum esse confido, ut tamen si in manu tua fuisset ac potestate, in qua Westphaliae urbe Academiam poneres, ceterisque omnibus consulto Paderbornam antetulisses, nemo id injuriâ factum esse, jure queri posset.

## CAPUT II.

*Academiae fundatio Episcopum maximè decet. Paderborna Episcopatum Westphaliae urbium dignitate prima.*

**A**Tque illud quidem nemo non rectè, & ordine factum fatetur, quòd ab Episcopo, & sacro Principe hoc tam salubre consilium, & cura suscepta sit. est enim finitima procuratori sacrorum, litterarum & doctrinae cura. Nam cum Episcopi proprium sit salutaris doctrinae tradendae munus, sitque ei, si quid minus sanum vulgò seratur, omnis culpa praestanda; praclare ex eo ratiocinatur Alexius Comnenus,

*In Novell.  
cap. 6.*

nus,

mus, eum cui publicè fit docendi potestas, ad levandum onere Episcopum accedere. Non quòd, ut imperitè quandoque docuit Lutherus, renunciatio Doctorum in Academiis nihil distet ab ordinatione, & initiatione legitimorum Ecclesiæ Ministrorum & Pastorum: Sed velut de Rege sapienter scriptum fecit Xenophon, ei multis auribus, multis oculis opus esse, qui sunt viri rerum usu & prudentiâ excellentes, ita de Episcopo scitè dici potest, ei plura quoque ora esse oportere, quæ populum erudiant. Quocirca decernit ibidem Imperator, ut tamen si Constantinopoli vectigalia doctoribus ab Imperatore sint constituta, ipsi tamen nonnisi ejus urbis Archiepiscopi auctoritate ad docendi munus deligantur. Ex quo observat vir juris consultissimus Petrus Tolosâs, ita rectam rationem flagitare, ut qui in publicis Scholis juventutem erudiunt, ii ab Ecclesiæ Præsulibus potestatem, vectigalia à civili Principe consequantur. In Westphalia autem cum Imperator Carolus Magnus Episcopis jure suo cesserit, atque ita hos populos, ut ipse loquitur, *pro amore illius, qui ei victoriam contulit, ipsi tributarios & subjugales devotè addixerit*, nã is Episcopus omnes penitus officii sui partes intelligit ac perspicit, qui turpe existimat ex opibus, quas civilis Princeps bello partas sponte Ecclesiæ commodis consecravit, non quantum Respubl. flagitat, in doctrinarum cultum derivari, quem ille, si eas retinisset, omni ope alere, & ornare sui muneris esse duxisset. Ac licet omnes Westphaliæ Episcopi in eadem esse causa videantur, tamen quoniam non videbuntur rationes Ecclesiarum exposcere, ut in singulis Academiæ sint: ubi id in quæstionem vertitur, ad quem ex omnibus hæ partes sint deferendæ, equidem censeo eum, cujus Ecclesia dignitate cæteris antecellat, præclarè facturum, si, cum ita tempora Reipubl. postulabunt, ultrò eas ipse sibi deposcet. Ferre enim, cui excelsiorem locum majores nostri tribuendum putarunt, ea Ecclesia opportunitate regionis, splendore, aliisque rebus est ornata, ut cum amplitudinem quandam suo Antistiti possit ejus nomen afferre, verendum non sit, ne sapi-

Lib. 8. de  
Instit.  
Cyr.

De rep. 7.  
18. c. 3.  
§. 8.

Apud  
Adam.  
Brem.  
cap. 10.

pietiaꝝ cultoribus non sit ornamento. Jam verò inter Westphaliæ Antistites Paderbornensem obtinere longè principem dignitatis gradum, nemo est qui ignoret, nisi qui in ratione Conciliorum Ecclesiasticorum, Conventuumque Imperialium, & omnis memoria vetustatis rudis sit, atque peregrinus. Et erit quispiam qui miretur, in ea Urbe constitui primam Westphaliæ Academiam, in qua tot sæculis sit Ecclesia Cathedralis, cui cætera & antiquitate, & opibus, & provinciarum amplitudine, clientelisque florentes non dubitent de honore concedere.

## CAPUT III.

*Religio Christiana Paderbornâ manavit in universam Westphaliam. Bonæ litteræ in Westphalia ab initio committatæ religionem Christianam.*

*Ann.  
Franco-  
rum, Regi-  
no, alii,  
anno Do-  
min. 777.  
Apud Go-  
belin. in  
Cosmod.  
at. 6. c. 38.*

**D**Einde cui dubium est, quin Christiana religio Paderbornâ, velut à capite, in universam Westphaliam permanarit? Etenim gente universâ à Carolo Magno perdomitâ hîc prima Synodus est habita, in qua primoribus, magnâque populi multitudine baptismo lustratâ, salutare primùm rogatæ leges, & jura sancita sunt. Itaque vir eruditus, & pius, qui Arnulfi Cæsaris ætate studiis litterarum, & sanctimoniam florebatur, pulchrâ sanè imagine, Paderbornam eum locum esse scripsit, ubi duri ad eam diem, atque instar filicis indomiti Saxonum animi, ferro D. Caroli icti, tandem in scintillam Christianæ fidei emicuerint. quæ scintilla in immensum postea crescens incendium, non Saxones modò omnes, sed Vandalos quoque, aliasque remotissimas gentes corripuerit. Unde idem existimavit Paderbornensi Ecclesiæ rubram crucem pro insigni relictam esse, quòd in ea primùm Saxones, & Westphali cruentis Caroli præliis compulsi, sub hoc CHRISTI signo militare cœpissent. Quid tum postea? dicet quispiam. sit sanè Westphaliæ Religio primùm nata Pa-